

XLVIII. Ad confirmationem respondetur, poenitentiam esse partem potentialem et imperfectam justitiæ. Et cum infertur, ergo aliquod debitum inducit Deo; distingo, aliquod debitum ex suppositione et beneficio Dei sic acceptantis, transeat; ex vi ipsius personæ satisfaciens, nego. Unde adhuc stat quod omnino gratia detur, quia quando tota obligatio fundatur in beneficio ipsius creditoris, non in actione aut valore ipsius debitoris, totum manet intra limites puræ gratiæ, et solum servatur modus quidam et forma justitiæ secundum quid et imperfecte, quatenus contritio quæ redditur, et gratia quæ confertur, aliquam proportionem servant in ordine supernaturali.

## ARTICULUS II.

*In quo genere causæ contritio expellat peccatum.*

I. In articulo secundo hujus quæstionis LXXXV, solutione ad tertium docet S. Thomas: « Quod quælibet virtus specialis formaliter expellit habitum vitii oppositi, sicut albedo expellit nigredinem ab eodem subjecto; sed poenitentia expellit omne peccatum effective, in quantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex divina gratia, homine cooperante. » Circa quæ verba oritur difficultas primo, cur dicatur poenitentia effective, et non formaliter expellere peccatum, cum contritio, quæ est præcipuus actus poenitiæ, sit formata charitate, et ita expellat peccatum formaliter, quia ille actus est amor amicitiae: ergo qui habet illum, formaliter est amicus Dei per talem actum; sed formalis amicitia formaliter expellit peccatum et offensam

Dei, quia implicat esse amicum et esse offensus sive inimicum: ergo id quod formaliter facit amicum, facit non esse inimicum: ergo non esse peccatorem. Potius ergo debuit S. Thomas dicere, quod poenitentia formaliter expellit peccatum, quam quod effective.

II. Secundo, est difficultas ex parte ipsius efficientiæ, quomodo verificetur quod poenitentia effective expellit peccatum, nam nulla causa efficiens expellit aliquam formam, nisi attingendo aliam, quæ formaliter expellat illam; sed poenitentia non producit effective aliquam formam expellentem formaliter peccatum: ergo neque effective expellit ipsum. Major est certa, quia expulsio, seu corruptio est effectus secundarius agentis, non primarius, si quidem corrumpere est destruere: nulla autem causa effectiva primo et per se destruit, sed primo et per se facit, et ex consequenti destruit, quia si solum destruit, nihil facit: ergo si per se efficit, per se aliquam formam vel effectum debet causare: unde consequitur quod alia forma destruitur, quæ cum ista non compatitur. Minor vero probatur, quia forma expellens peccatum est gratia in essentia animæ, et virtutes in potentiis; sed poenitentia non producit effective gratiam et virtutes, quia gratia solum fit a Deo effective et physice, ut dicitur 1-2, quæst. cx, art. 1: ergo, etc.

III. Nec sufficit dicere, quod poenitentia expellit peccatum effective instrumentaliter, vel solum moraliter, contra enim est, quod efficientia instrumentalis convenit poenitiæ sacramento, non poenitiæ ut virtuti, et extra sacramentum, de qua solum agimus hic. Neque etiam moraliter, quia moralis efficientia, nec proprie est effectiva cum tamen S. Thomas dicat poenitentiam effective expellere peccatum: nec conve-

nit solum poenitiæ, sed cuicumque alteri, quod possit habere rationem conditionis requisitæ, vel pacti vel congruitatis ad expulsionem peccati, quia totum hoc in genere morali est. Dices concurrere poenitentiam effective physice, non quidem producendo gratiam, sed disponendo subjectum ut illi infundatur et uniatur; et consequenter physice expellere peccatum oppositum gratiæ; sicut homo dicitur effective generare hominem, et expellere oppositam formam a materia, quia disponit illam ad recipiendam animam rationalem, nec tamen illam producit, sed producendo physicas dispositiones, expellit physice dispositiones oppositas, et oppositam formam. Sed contra; tum, quia homo generans, licet non producat animam, tamen physice unit illam ad materiam; poenitentia autem non unit gratiam subjecto, hæc enim ex ipso subjecto educitur, et ipsa educatione unitur per inhærentiam; tum, quia homo producit physice dispositiones ultimas ad introductionem animæ, quæ habent naturalem et necessariam connexionem cum illa; poenitentia autem non habet physicam et necessariam connexionem cum gratia, sed solum ex misericordia divina, quia avertentibus se a peccato, vult misericorditer gratiam infundere: ergo non potest dici quod physice expellit peccatum, quia non producit aliquid habens physicam repugnantiam cum illo: nisi enim Deus infunderet gratiam, poenitentia non expelleret peccatum, gratia autem infunditur misericorditer, et gratuito beneficio poenitenti, non ex debito naturali, sicut infunditur anima corpori disposito et organizado.

IV. Propter hæc et similia argumenta varie loquuntur auctores in hac parte. Et multi per unum extremum tenent, contritionem for-

matam charitate non effective, sed formaliter justificare, quæ est opinio Vazquez in secundo tomo prima, secundæ, quam nos in materia de justificatione rejicimus. Alii in alio extremo negant actum poenitiæ esse formam justificativam, sed solum dispositivam ad gratiam, et aliqui solum illi tribuunt rationem dispositionis moralis, alii vero physice. In præsentibus duo suppono: primum, non esse actum contritionis formam justificantem, sed solum disponentem ad gratiam, ut in materia de justificatione tractatum est; neque enim hic est locus disputandi illam quæstionem, licet disputatione sequenti aliquid de illa attingemus. Secundum est, non posse negari moralem efficientiam poenitiæ respectu justificationis, quia poenitentia operatur per modum satisfactionis, et expiationis ad remissionem peccati; satisfactio autem pertinet ad genus morale, quia respicit peccatum sub ratione debiti remittendi, et offensæ satisfaciendæ: quod totum fit secundum moralem æstimationem et exigentiam juris; non secundum aliquam physicam actionem destruentem ipsum debitum, ut etiam videmus in satisfactionibus humanis.

V. Et præterea peccatum, licet physice relinquat maculam, et privationem intrinsecam ipsius gratiæ in anima, tamen multos etiam effectus morales relinquit, ut hominem denominari peccatorem voluntarium, ex actu voluntario præterito non retractato; et Deum denominari offensus, ex actu injuriæ præterito: quem actum et denominationem inde ortam non potest tollere poenitentia effective et physice, sed moraliter, quia non sunt aliquid physicum, sed morale, seu denominationes rationis ex actu præterito relictæ: ergo oportet fateri hanc efficientiam moralem poenitiæ,

quam S. Thomas præcipue videtur designasse in illis verbis supra relatis, cum dixit: « Quod pœnitentia effective expellit omne peccatum, in quantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex divina gratia, homine cooperante: » si enim pœnitentia effective expellit sub illa formali ratione (scilicet, prout peccatum est remissibile ex gratia Dei) ergo formalis ratio efficiendi in ipsa est aliquid morale, scilicet, peccatum ut remissibile, id est, sub ratione remissionis, quæ est condonatio; sed ipsa remissio et condonatio solum moraliter expellit peccatum, quia non est actio physica, sed moralis: ergo a fortiori ipsa pœnitentia, quæ solum expellit peccatum ut remissibile, moraliter expellet illud. Imo ex hoc posset aliquis inferre, quod secundum sententiam S. Thomæ nullo modo pœnitentia tollit peccatum physice, sed moraliter, quia non possumus majorem efficientiam tribuere pœnitentiæ, nec S. Thomas attribuit, quam ipsi remissioni, ut remissio et condonatio est peccati, si quidem dicit S. Thomas, quod pœnitentia operatur ad destructionem peccati, ut remissibile est: ergo in eadem linea et ordine pœnitentia expellit effective, in quo ipsa remissio peccati; sed remissio et condonatio solum moraliter expellit peccatum: ergo et pœnitentia, quæ dicitur operari ad destructionem peccati ut remissibilis.

VI. Nihilominus adhuc juxta hæc principia S. Thomæ valde probabile est pœnitentiam physice expellere peccatum, quia licet condonatio et remissio Dei extrinseca morali modo expellant peccatum, quia directe tollunt illud in quantum est injuria et offensa Dei (qui est effectus moralis) tamen pœnitentia expellit physice mediate et remote, quatenus expellit physice dispositiones ali-

quas, e quibus peccatum dependet, licet non expellat physice immediate, id est, producendo ipsam gratiam aut uniendo illam subjecto. Unde non est necesse recurrere ad effectum aliquem physicum in ipsa gratia producenda, vel unienda subjecto: in hoc enim nullum video fundamentum, quo possimus physicam influentiam pœnitentiæ tribuere: qua gratia a solo Deo physice producit, tamquam a causa principali; per modum autem causæ instrumentalis convenit hic effectus pœnitentiæ in quantum sacramentum est, vel pars sacramenti, non autem extra sacramentum, ut præcise actus virtutis est. De hoc enim nullo fundamento constat; neque hic agitur de tali modo instrumentali operandi, sed de expulsionem peccati a pœnitentia in virtute propriæ suæ naturæ. Neque etiam est fundamentum, ut dicamus per pœnitentiam uniri gratiam animæ physica unione, sicut ab homine generante unitur anima corpori, quia homo format corpus disponendo et organizando illud, ea dispositione physica et naturali, quæ requiritur ut anima infundatur: at vero pœnitentia non format neque disponit animam ut physice recipiat gratiam, quia ipsa gratia immediate educitur ex potentia obedientiali animæ, et illi unitur per inhærentiam, sicut quodlibet accidens, sine hoc quod præcedat alia entitas naturalis, aut supernaturalis inter animam et gratiam.

VII. Quare pœnitentia solum potest physice operari ad expulsionem peccati mediate et remote, quatenus destruit affectum et inclinationem voluntatis ad conversionem contrariam Deo, et aversionem a fine ultimo, a qua necessario dependet ipsa ratio et denominatio peccati et offensæ Dei; et introducit physice oppositam determinationem volun-

tatis, quatenus illam convertit ad Deum, quod non fit sine aliqua mutatione physica: nec tamen pœnitentia facit istam conversionem et mutationem voluntatis sub omni consideratione et respectu, sed sub ratione justii vindicativi, expellendo oppositum affectum, quatenus iniquus et injustus erat Deo; et hoc est destruere peccatum effective, quatenus remissibile est a Deo, homine cooperante, ut dicit S. Thomas. Conversio enim et aversio, quæ relinquitur ex peccato, non solum opponitur conversioni, quatenus fit per charitatem, sed etiam quatenus tollit injustam et injuriosam aversionem a Deo, quia utrumque habet ex ipsa ratione peccati, et aversionis ab ultimo fine. Sicut ergo a charitate expellitur physice peccatum, quatenus illi opponitur conversio dilectionis Dei super omnia, quam determinationem introducit charitas, licet non producat gratiam; ita expellitur physice a pœnitentia, quatenus elicit actum expiationis et satisfactionis, quo mutatur voluntas ne sit impia et injusta erga Deum: et hoc est physice expellere peccatum introducendo illam determinationem et affectum voluntatis, et expellendo oppositam conversionem quatenus est injusta et offensiva Dei. Nec tamen producit, vel unit ipsam formam justificantem, quæ est gratia: sicut etiam fit a charitate, et aliis virtutibus, quæ physice operantur ad destructionem peccati, non producendo gratiam, sed mutando voluntatem.

VIII. Dices: Hæc expulsio non videtur effectiva, sed formalis, quatenus quælibet virtus expellit vitium oppositum sibi, quod S. Thomas in verbis supra citatis docet fieri formaliter a virtutibus; a pœnitentia autem dixit effective expelli peccatum: non autem reducimus hanc expulsionem pœnitentiæ ad expul-

sionem formalem, quatenus contrariatur determinationi et effectui voluntatis ad peccandum.

IX. Respondetur hanc expulsionem fieri effective a pœnitentia, ut a principio elicente effective actum contritionis, et mutante ipsam voluntatem, quatenus injusta et iniqua erat: et hoc effective fit a pœnitentia: non tamen ex hoc tollitur, quod ipse effectus productus a pœnitentia formaliter destruat oppositam determinationem voluntatis. Sicut calor existens in igne effective expellit frigus, quod est in ligno: quod non tollit quin formaliter tollatur per calorem receptum in ipsomet ligno: sic pœnitentia, ut est principium elicativum contritionis effective operatur ad destructionem peccati; non tamen ex hoc negat S. Thomas, quod detur aliquid a pœnitentia relictum, quod formaliter se habeat ad istam destructionem, nam hoc ipso quod effective operatur, oportet quod habeat effectum; et ille effectus formaliter se habebit ad destructionem peccati; non quidem producendo ipsam gratiam (quæ formaliter immediate expellit) sed convertendo voluntatem: quæ conversio et mutatio formaliter reddit voluntatem conversam, seu detestantem peccatum, mediate autem, et remote ipsum peccatum expellit: ponit autem S. Thomas differentiam inter reliquas virtutes et pœnitentiam, quod aliæ virtutes expellunt vitia opposita sibi formaliter et immediate, quia contrariantur eis; pœnitentia autem non solum expellit oppositum, quod impœnitentia formaliter et immediate, sed etiam operatur ad expulsionem omnis peccati effective, producendo aliquid quod mediate et remote ipsum expellat.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

X. Ad difficultates a principio respondetur. Ad primam, in qua quæritur, cur pœnitentia dicatur expellere effective, et non formaliter peccatum, dicimus ideo esse, quia pœnitentia non est forma sanctificans formaliter, sed solum dispositive, ut modo suppono ex materia de justificatione, quia et si actus contritionis et charitatis formaliter nos convertunt ad Deum, non tamen formaliter convertunt Deum ad nos, nec ponunt in anima lumen gratiæ, quod ex conversione Dei ad nos infunditur: sicut lux ex conversione luminosi diffunditur ad corpus, non ex motu et conversione corporis illuminati habetur: hic enim motus formaliter non illuminat, sed dispositive: quod magis manifestatur considerando quod contritio est actus elicitus ab homine, non ipsa remissio et condonatio personæ offensæ: et sic oportet quod præter actum contritionis, qui elicitur a persona offendente, detur aliquid causatum a persona offensa, quo remittatur peccatum; collatio autem auxilii ad eliciendam contritionem non est condonatio et remissio peccati, quia compatitur cum peccato tale auxilium, quousque actus charitatis de facto sit elicitus: ergo antecedenter ad ipsum actum, in illa prioritate in qua recipitur auxilium ad eliciendum, nondum est remissum peccatum: ergo collatio talis auxilii formaliter non est remissio peccati: et cum dicitur, quod ille actus contritionis et charitatis formaliter constituit amicum Dei, cum sit formaliter actus amoris amicitiae, distinguendum est: formaliter ex parte effectus et condonationis divinæ, nego: neque enim sufficit ad restitutionem amicitiae quod of-

fendens amet, sed requiritur quod offensus condonet, licet per amorem illum et affectum disponatur offendens, ut offensus ei condonet.

XI. Ad secundam difficultatem distinguitur major; nulla causa efficiens expellit aliquam formam, nisi effective producendo eam, quæ formaliter expellit, distinguo; quæ formaliter expellit mediate vel immediate, adæquate vel inadæquate, transeat; quæ formaliter expellit immediate tantum, nego. Ad minorem dicitur, quod pœnitentia non producit ipsam formam quæ immediate expellit peccatum (scilicet gratiam) sed producit effective id, quod mediate et remote expellit peccatum, scilicet, conversionem voluntatis ad Deum per actum contritionis, qui etiam postquam transactus est, relinquit voluntatem determinatam ad talem conversionem, et talem mutationem voluntatis physice introducit pœnitentia; et hoc est expellere peccatum effective mediate, tollendo conversionem ad creaturam, quatenus injusta est et iniqua, et in quantum peccatum est offensivum Dei, et remissibile a Deo, homine cooperante.

XII. Ad replicam respondetur, exemplum illud de homine generante, et expellente oppositas dispositiones ad introductionem animæ, non in omnibus tenere, quia pœnitentia non unit gratiam subjecto, sicut homo generans unit animam rationalem corpori; sed tenet, quantum ad expulsionem peccati mediatam et remotam, ex parte alicujus dispositionis in voluntate, a qua dependet peccatum, ut est offensivum Dei; nam etiamsi homo non uniret corpus animæ rationali, nec diceretur generare hominem, tamen si produceret dispositiones aliquas ordinatas (saltem mediate) ad talem formam, quibus destrueret oppositas dispositiones, diceretur physice

expellere illam, et consequenter formam oppositam animæ, prout a talibus dispositionibus, licet non diceretur physice generare hominem: sunt enim distincti effectus, generare hominem uniendo animam corpori, et expellere dispositiones contrarias; et sic operari mediate ad expulsionem formæ substantialis præcedentis: hoc enim secundum præcise fit per introductionem contrariorum dispositionum expellentium alias oppositas, non per introductionem ipsius formæ substantialis: sic ergo licet pœnitentia non assimiletur homini generanti quantum ad primum effectum uniendo animam physice et generandi hominem, quia revera non unit physice gratiam animæ: tamen in secundo effectu assimilatur illi, scilicet, introducendo dispositionem oppositam dispositioni peccati, scilicet, affectum et conversionem voluntatis ad Deum, quatenus tollit injustitiam et inæqualitatem voluntatis iniquæ.

XIII. Unde sequitur, quod operetur ad expulsionem peccati, quatenus peccatum dependet a voluntate sic injusta et iniqua. Et licet forma præcedens non expellatur nisi per introductionem alterius formæ de novo genitæ, tamen hoc est in genere causæ effectivæ mediate et remote operantis ad expulsionem illius formæ, per introductionem dispositionis contrariæ tollentis illam a qua dependet forma corrumpenda: et sic pœnitentia, licet non introducat physice gratiam immediate, tamen expellit peccatum effective mediate, introducendo in voluntate dispositionem et affectum contrarium omni peccato, quatenus convertit voluntatem ad Deum.

XIV. Ad secundam probationem respondetur, probare quod pœnitentia non unit gratiam subjecto physice et immediate, sicut homo

introducens ultimam dispositionem necessitantem ad formam rationalem, unit illam materiæ, quia pœnitentia non est dispositio necessario connexa cum gratia ex vi physicæ entitatis, sed ex misericordia Dei infudentis illam: nec se habet ut dispositio activa ad producendam vel uniendam gratiam; sed disponit quasi passive, ut illa posita Deus gratiam infundat; sicut posito diaphano in medio, luminosum illuminat illud, nec tamen diaphaneitas producit lucem, sed disponit passive, ut recipiatur in medio, non tamen probat argumentum, quod pœnitentia non concurrat physice effective ad expulsionem peccati, modo explicato, scilicet mediate, quatenus facit conversionem et mutationem voluntatis iniquæ, a qua dependet ipsum peccatum. Et quando S. Thomas dicit: « Effective expellere peccatum, quatenus remissibile ex divina gratia, » non loquitur de sola expulsionem morali, eo modo quo remissio et condonatio intelligitur expellere sine infusione physica gratiæ; sed addidit S. Thomas: « Quatenus remissibile est, homine cooperante. » Cooperatur autem homo, quatenus convertit se, et mutat voluntatem in ordine ad Deum, tollitque oppositam determinationem et durtiam voluntatis, a qua dependet conservatio peccati: et hoc physice facit, et sic saltem mediate et remote expellit peccatum: vel ut loquitur S. Thomas: « Operatur ad destructionem peccati, » quia peccatum a voluntate dependet, quia in tantum est peccatum, in quantum voluntarium: mutata ergo voluntate, tollitur id a quo peccatum dependet ex parte hominis, et disponitur ut etiam tollatur ex parte Dei, ipso remittente offensam, et infundente gratiam homini sic disposito.